Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

longanimiter sperat. proximorum molestias cum caritate tolerat. et
ea quae non habet concupiscere contempnit. Longitudinem et latitudinem
porta habet. quia gloria praedicatoris profectus est auditoris. Unde discipulis per mag
nam praedicationem dicitur: Gaudium et corona mea. Et rursum. Nunc vivimus.
si vos statis in domino. Atque iterum. Quae est enim nostra spes aut gaudium? Non
ne vos ante dominum. Longitudo ergo et latitudo portae est quae ad aquilonem
respicit. quia cum infideles quoslibet peccati sui frigore torpentes ad fi
dem praedicator converterit. per hoc quod eum in longitudinem spei tendit.
et in amplitudine caritatis dilatat. ei gloriam suam facit. Et quia in cog
nitione sanctae trinitatis ex verbo praedicationis auditores quique in eiusdem
trinitatis amore proficiunt. habet hec eadem porta thalamos tres hinc.
et tres inde. quia omne quod per testamentum novum de trinitate editum loquitur.
hoc etiam de testamento veteri ostenditur. et cor audientium in amo
re caelestis patriae perficit. ut anima inhaerens deo quasi sponsa cum sponso
iam in thalamo sedeat. atque a terrenis desideriis funditus avertatur.
Vel certe ut longe dictum est. quia tres sunt ordines bene viventium. bo
norum scilicet coniugatorum. continentium. atque praedicatorum. et quia alii etiam in coniu
giis positi. amore caelestis patriae anhelant. alii autem spe aeterni gau
dii carnem macerant. omnesque actus terrenos refugiunt. et in cura hu
ius saeculi implicari contempnunt. alii vero et terrena bona despiciunt. et
caelestia gaudia praedicant quae cognoverunt. Ipsi nimirum in spiritali aedificio
thalami sunt. in quorum cogitatione et meditatione anima caelesti spon
so sociatur. Quos tres bonorum ordines quia non solum in gentibus habet sed ali ecclesia
quando etiam synagoga habuit. dum magna multitudo spiritalium redemp
toris nostri gratiam ardenter expectavit. Porta etenim caelestis aedificii
tres hinc. et tres in thalamos habet. quia praedicator quisque cum ad sup
na auditorem provocat. et novos patres et veteres anhelasse de cae
lesti desiderio demonstrat. Sic enim plerumque [illegible] exempla quem